



2/10/11
~~GA 4~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-61. ———
SIGNAT. c1515CCCXIII.





אלהי אלהי

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

PASSIONALI CON-
SUMMATIONE, *f. III. 2850*

ET

MIRACULOSIS CONSE-
QVENTIBUS PASSIONIS,

ex Matth. XXVII. v. 45. usq; 56.

Quam

P R Æ S I D E

RECTORE MAGNIFICO

V I R O

Maximè Reverendo, Amplissimo atqve Excellentissimo,

DN. JOHANNE *Deutschmann*/

SS. Theol. Doct. ejusdemq; Prof. Publ. Celeberrimo,
nec non Alumnorum Electoralium Ephoro Gravissimo.

Dn. Patrono ac Evergetâ affectu imo & humili, summo

tamen honoris cultu jugiter suspiciendo,

die 12. Aprilis A. Æ. C. qvô

Pressa fides sVrget, sVrgensqVé Vt paLMa Virescet.

In Auditorio Theologorum

horis pomeridianis

publica ventilationi exponere, & propugnare constituit

RESPONSURUS

MARTINUS DUBOVSKI, Solnâ Hungarus.

WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS BORCARDI, Acad. Typ.

Excudebat SIMON LIBERHIRT.

Consummavit opus Christus prægrande salutis,
In Cruce dum moriens ultima verba dedit.

Mira cano: moriente DEO pia corpora surgunt,
Quæ nunc Dubovski mira stupenda refert.
Plura vetant curæ Officii, innumeriq; labores;
Nil vetat, ut brevibus commoda longa prece.

JOHANNES Deutschmann/D. p. t. Acad. Rector.

Consummatum est!

Maximus salutis Autor summa finit prælia:
Nostra consummavit ipse finiendo secula.

Dum cadit confixus fatali Arbore Mirabilis
Angelus, stupefcit æther, terra, Pontus contremitt,
Mira naturam fatigant; Mortuinec continentur
In Sepulchris. Hæc DUBOVSKI voluit altâ mente. JESUS
Cæpta consummabit ipse!

ABRAHAM CALOVIUS, D.

Consummatum est!

Ista sedet meritò princeps tibi cura, DUBOVSKI,
Nosse sit ut Christo Vindice parta salus.

Ista fovet Christi conservat, & auget amorem
Notitia, ut verè quis sapienter amet;

Hujus amore frui tibi sit sapientia prima,
Hinc tibi certa salus surget: id opto tibi

ὁλοκαρδίως

M. JOH: HELVICUS WILLEMER, Mœno-Francofurt.

Consummatum est!

Alta petens virtus temnit ludæbria sortis:

Nititur in mediis fortune casibus acris

Vincere, constanter quæ malis obsistere pergit.

Segnior haut virtus, in Te, dilecte DUBOVSKI,

Sæpius eluxit tolemando fortiter illa,

Quæ Tibi fors Patriæ peperit durum quocq; celum

Paupertas, inimica bonis, quos undiq; quassat.

At victor superas præclaris ausibus hisce,

Testaris clarè contemnens horrida quæq;

M. PAULUS PLATANI, Hungaruse.


Cadit

DEL morientis Praefica!


CAdit eheu! Patrius Sol, tenebris mox
 Polus, & tota (N) humus atra est. Babylone (D)
 Fabre factum rapitur dupliciter velum; Avis inde
 Volitat (A) Chaonis: & terra tremiscit:
 Petra hiat multa: & apertis monumentis
 Sacra surgunt hominum corpora: Voce Insula Paxia (A)
 Tremat hac: (A) PAN MORITUR MAGNUS! ô alme
 Pylades Prodigia hæc differis. En, quos
 Tuleram nuper Iones Tui amoris, Tibi reddo.


Quos Pyladi charo prompsus cantavit Orestes
 M. GEORGIUS GASSITZIUS, Hung. El. Al.

- (N) Non Judæa tantum, ut Origen, Tract. 35. in Matt.
 (D) Joseph. 6. de bell. 6. (A) S. Ephraim Syr. ser. De Pass. Dom.
 (A) Una est Echinadarum. (A) Plutar. lib. de def. Omc.
 Euseb. 5. de prep. Ev. 9.


 Christi passio: nostra consummatio.

Ergo etiam SOLNA Clarorum Matre Virorum
 DUBOVSKI ex Cathedra Witeberga verba Tonantis
 Ultima propugnans. Patriæ sic fata ferebant.
 Omen habe! transit Patriæ crux atq; DUBOVSKI,
 CHRISTOPHORUS MAZARIUS, Hung. Vitteb. p.n.
 Stud. SS. Theol. Parentis pii fato afflictus.


 Wohlbracht ist! Jesus rieß/ nach dem er überwunden;
 Bald war die ganze Welt voll Traurigkeit erfunden.
 Solchs Werck mein Herzens Freud betrachte billich heue.
 Ach Gott verkehre doch sein Lend in Fröligkeit!
 JEREMIAS PILARIK, Tepliciô Hung. SS. Th. Stud.


 Nylina premila vrechy zbawena/
 Kwilisch/ suc o skolu y Chram Pripravena.
 Buh pat pln milosty/ postlad slowa sweho
 Nawraciss/ a prines do slawu prwisseho.
 ESALAS PILARIK, Hung. S.S. Th. Stud. Elec. Al.

(O)

DISSERTATIONES PASSIONALES.
DISSERTATIO XXV. PASSIONALIS.

Ex Matth. XXVII. 45. . 50.

DE PASSIONALIS CONSUMMATIONE.

I. **J**udic. XVI. prolixè Mors Simsonis describitur, cum primis *Judic. XVI.*
autem ratione temporis, quod in magno Philistæorum festo *XVI.*
diem suum obierit; ratione devotionis quod in vera Dei in- *Mors Sim-*
vocatione vitæ finem fecerit v. 28. ratione operationis, quod *sonis:*
magnam hostium stragem dederit, & plures moriens, quam vivens *Mors*
interfecerit, ac injurias, illatas sibi, magno spiritu sic ultor sit: *Christi.*
Simsonis est consummatio ejus naturalis, officialis & passionis ty-
pumq; gerit *Mors Christi*. Nam & Christus ratione temporis
magno Judæorum, suorum hostium, festo, videlicet Paschato,
mortuus est: & non tantum in horto, vel ingressu passionis *Matth.*
XXVII. 39. Sed etiam in crucis patibulo cælestem Patrem invoca-
vit *Luc. XXVII. 46.* & in mortis articulo preces ardentissimas
fudit: Pater in manus tuas commendo spiritum & sic mors ipsi
facta Consummatio naturalis, quia sic vitam, vel cursum terre-
strem finiit, consummatio officialis, quia ministerium suum, vel
officium ministeriale conclusit, & consummatio passionis, quia
dixit: *Consummatum est Johann. XIX. 30.* Nos hac vice de *Con-*
summatione passionis juxta *Matthæum* aliquid meditabimur.

1. *Psal. XXII. 1. Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* *Psal. XXII.*
inquit *Messias* Historiam passionalem Veteris Testamenti, vel il- *1.*
lustrissimū Passionis vaticinium, nimirū hunc *Psalmi* & prophe-
ticum, & tere historicum ingressurus: quæ verba, sicut *Exordi-*
um hujus *Psalmi* faciunt, ita breve totius *Psalmi* Compendium in-
troducunt. Ostendit autem *Messias* (1) *Passionis principium*, *Passionis*
Deus meus, Deus meus: non enim passionem Dominicam *fatali principis.*
quidam ordinationi, quæ simplicem aliquam necessitatem post se
trahat, adscribendam esse dicimus. Lubens enim hanc passio-
nem aggressus est *Christus Psal. XL. 8.* non ex necessitate, sed
ex libertate: nec vago fortune casu, quasi casu, vel fortuito, Do-
minus

DISSERTATIONES PASSIONALES.

minus in hæc mala ceciderit: nam & semper passionem suam prævidit, & sapius eandem prædixit, adeoque neutiquam ipsi fortuito contigit: Sed *divina dispositioni* passionem Dominicam acceptam ferimus: unde *Messias* h. l. Patrem respicit, qui nobis filium unigenitum dedit *Johann. III. 16.* & filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus eum tradidit *Rom. IX. 32.* unde *Messias* eum Deum suum vocat, & *ratione liturgia*, quia *Messias*, tanquam servus Dei magnus *Es. XLII. 1.* & minister circumcisionis *Rom. XV. 8.* Deo Patri ministrabat; & *ratione œconomia*, quia sic mysterium sapientissimæ œconomia hoc ipsum requirebat: & *ratione fiducia*, quia fiduciam omnem in Deum Patrem collocabat *v. 3. 9. 10. &c.* Et certe Deus ipse passionis hujus auctor, non equidem respectu maleficiorum, quæ propria Diabolo sunt & malis hominibus, sed respectu beneficiorum, quæ nostræ salutis destinata sunt.

*Passionis
judicium.*

3. (2) *Passionis judicium*, quod est Dei derelictio, quare *Me dereliquisti*: nam Dei derelictione passionem omnem indicat: sicut enim *Deus est fortitudo piorum, petra & arx ipsorum, liberator omnium, Deus noster, Deus adjutor, in quem sperare debemus, protector noster & cornu salutis, altissimum asyllum nostrum Psalm. XIX. 2. 3.* ita ejus consortium nostrum delictum, ejus cohabitatio nostra refocillatio, ejus accessio nostra refectio, quod etiam de se *Messias* in hoc *Psalmo* aliquoties indicat: sed è contra *Dei derelictio* est omnis vitæ discessio, omnis lætitiæ amissio, omnis boni transitio. Et certe Deo, summo bono, discedente bonum omne discedere necessum habet, sed mox Diabolus accedit, & omne malum secum affert, ac omne cruciatuum genus post desertionem Dei confert, ut ita sine Deo mox adsit malum *æternum*, quoad prægustum, malum *internum*, quoad proprium statum, malum *externum*, quoad externum symbolum. Est autem hæc *derelictio DEI* respectu *Messie* hic prænunciata, quod Deus Patrem ipsum in passiones, cruciatus & mortem ipsam tradidit, & ipsum prorsus deseruerit, quod omnino consideratione dignum. Nos in paradiso per lapsum *Protoplastorum* deseruimus
ipsum

DISSERTATIONES PASSIONALES.

ipsum Deum, hanc desertionem Dei *Messias* expiare necessum habuit, & quidem pro nobis, ut nobis accessio Dei restitueretur. Non igitur sui, sed nostri causa derelictus est à Deo, quæ gravissimæ tentationis & passionis indicia fuerunt.

4. (3) *Passionis studium*, vel terminum, *Quare* dicit *Messi. Passionis* as, me dereliquisti? suum hac particula notans *studium*, quod *proprium*. omnis ipsius meditatio sit in eo tantum occupata, ut hanc Dei derelictionem plane contemplari, pleneq; meditari queat. Et certe hoc *Quare* tum est *quare indagatio*, quia *Messias* respectu humanæ naturæ desiderio summo flagrat, introspicendi mysterium hoc divinæ desertionis, ut causis cngnitis eò confidentius omnes pœnas in se recipere queat: tum est *quare lamentationis*, quia, Christi lamentationes hic integer fere *Psalmus*, cum primis autem exordium ejus complectitur; tum est *quare invocationis*, quia simul hæc verba devotam orationem comprehendunt, & ad misericordiam Deum commovere volunt, ut fir em desertionis faciat, & mox gratiæ, vel auxilii promotionem suscipiat: uno verbo dicitur etiam *Quare passionalis Consummationis*, quia Dei derelictio postremus & supremus, passionis gradus est, sicut eadem Historia *Passionis* ostendit, quando hæc verba Christus in *passionali Consummatione* repetit: nos igitur hac vice de *Passionali Consummatione* proponemus (I) *Passionalis Consummationis indicium* v. 45. (II) *Passionalis Consummationis principium* v. 46. 47. 48. 49. (III) *Passionalis consummationis terminum* v. 50.

5. Quod igitur attinet (I) *Passionalis consummationis indicium*, illud dicitur miraculosa quædam *Eclipsis* v. 45. *A sexta autem hora tenebre factæ sunt super universam terram usq; ad nonam summationem*: quibus describitur hæc *Eclipsis miraculosa* (I) *ratione durationis*, quia duravit ab *hora sexta* ad *nonam usq;*: nim. satis *diu*. (II) *ratione* *durationis*, quia per integras tres *horas* duravit: siquidem sol mundo splendorem subtraxit per *omne* *tempus* illud, quo Christus crucifixus est, & vivus in cruce *pendit*, ne publicam & manifestam injuriam creatori suo per *homines* illatam, intueretur, Nam secundum *Hieronymum*

DISSERTATIONES PASSIONALES.

omnia creatura compatitur morienti Christo, Sol obscuratur, terra movetur lapides fiduntur, solus homo, pro quo Christus patitur, non afficitur,

Ratione
conditio-
nis.

Sol tribus
modis ob-
scuratur.

6. (6) Ratione conditionis, quia tenebra facta sunt, non equidem nocturna, sed diurna, non naturales, sed supernaturales, non communes, sed singulares, quia tempore plenilunii sol obscuratus est. Lucas addit ipsum modum, vel etiam principium tenebrarum, quod sol obscuratus ἐκκόπητο ὁ ἥλιος: quomodo verò id ipsum factum sit, nostrum non est curiosius indagare. Notum enim est, quod omnis Eclipsis solaris tempore novilunii fiat, quando lunare corpus inter solem, & terram interponitur, & visus noster impeditur, quo minus totum solare corpus, & omnem ejus splendorem videre queat: sed hæc eclipsis plenilunii tempore facta, quando lunare corpus soli non objicitur, sed opponitur. Obscuratus est autem sol, non quasi sol esse desierit, aut quod omnem in se splendorem amiserit, aut quod caligo corpus ipsum solis invaserit & occuparit, sed quia lucem suam terris & hominibus ingratis invidit. Duplici modo sol alias obscurari dicitur, vel per lune inter terram & solem interpositionem, vel per radiorum solis retentionem, aut retractionem, utroque modo hæc supernaturalis Eclipsis fieri potuit, quia naturæ autor patiebatur, ideo creatura omnis eidem compatiebatur. Nec hic naturalia sunt in his opponenda, quæ supernaturalia prorsus extiterunt. Sol, ne Judæorum facinus aspicere cogatur, scribit Cyprian. serm. de bono patient. & radios & oculos suos subtrahit. Et Hieron. in cap. 27. Matth. Videtur mihi clarissimum mundi lumen: hoc est, luminare majus. retraxisse radios suos. Idem habet Chrysost. serm. de pass. in Carena: Non poterat ferre Creatura injuriam Creatoris, unde sol retraxit radios suos, ne videret impiorum facinora. Sed modum alterum Dionys. Areopag. Epist. 7. ad Polycarp. de se & Apollopheane Philosopho, tanquam ἀυτόπτης, affert scribens: Eramus una cum alio, & stabamus ad Heliopolin, ac cernebamus, nec opinato, cum Luna se soli objiciebat (neque enim conjunctionis erat tempus) rursusque cum eadem ab hora nona ad vesperam se medie solis linea præter Naturæ ordinem opponebat. Redige autem etiam aliquid aliud ei in memo-

DISSERTATIONES PASSIONALES. 319

memoriam. Scit enim etiam objectum ipsum à nobis visum esse ori-
vi ab ortu solis & ad solis extremum pervenire, deinde evanescere,
sursumq; non ab eadem parte solis & objectum, & recessum evenire
sed ab ea, quæ ut ita dicam, è diametro erat contraria &c. Origenes
adhuc alium, videlicet tertium, addit modum, quod facta fuerit
hæc eclipsis per interpositionem densissimorum nubium, quod etiam
canit Sedulius: Sol nube coruscus Abscondens radios retro vela-
tus amictu Delictis, tristemq; infecit luctibus orbem.

7. (3) Ratione extensionis, quia super universam terram se-
nebra fuerunt. Et hanc universalitatem Evangelistæ satis emphati-
ce describunt, *Matthæus* inquit *Ἰνὴ πᾶσαν τὴν γῆν*, *Marcus* &
Lucas ἐφ' ὅλην τὴν γῆν. Origenes eque cum aliis censet, fu-
isse tantum Eclipsin particularem, & ad totam terram *Judeam* ex-
tensam: sed *emphasis* vocabulorum aliud ostendere videtur. Et
idem alii nonnulli *Philosophi*, vel etiam *Historici* observarunt. Et
cum fuerit *præternaturalis*, utiq; non debet, nec potest ad *ordina-
rias Eclipsium regulas*, vel *phases* referri.

Ratione
extensio-
nis.

8. II. *Passionalis Consummationis Principium* v. 46. seqq. in
quibus triplex principium observari potest (1) *Principium Mate-
riale*, quod est *Jesus Nazarenus*, *Salvator noster*, ejusq; lamenta-
tio, de quo dicitur: *Circa horam nonam clamavit Jesus voce ma-
gna dicens*: fuit hæc vox magna ratione *externæ pronuntiationis*,
quia voce magna clamavit, ἀνεβόησεν vehementer & alia, vel in-
tensa voce clamavit, quod & notatur *Hebr. V. 7.* quod *Christus* in
diebus *carnis sue preces supplicationesq;* obtulerit cum clamore valido
& lacrymis: ratione *internæ conditionis*, quia secundum *Originem*.
plena mysterii fuit & doctrina. Digne Deo, scribit *Origen.* tract.
35. in *Matth.* p. 201. *requirendum est*, quæ fuit illa magna vox
Christi utrum magna rebus significantibus magna mysteria, aut ma-
gna sensibili & corporali magna vocis auditu. Puto autem, quod
omnis vox *Christi Filii Dei* magna est, et si fuerit lenis &c. magna
denique ratione *æternæ consummationis*, quia sic in cruce passus
est, ut mox consummaturus omnia, sicut paulo post dixit *Job.*
XIX. 30. Consummatum est, dum in sanctum sanctorum ingressus
est, non hircorum, vel vitulorum, sed proprio sanguine, & æter-

II. Passio-
nalis Con-
summati-
onis prin-
cipium.
Principi-
um Mate-
riale.

DISSERTATIONES PASSIONALES.

nam redemptionem invenit *Heb. IX. 12.* cum primis autem vox magna fuit, qualis solet esse magna, vel dolores magnos tolerantium, vehementer lamentantium, vehementer laborantium *Esa. XLII. 24.*

Principium
judiciale.

9. (2) *Principium judiciale*, quod est *Dei Desertio*, quia clamavit Jesus: *Eli, Eli lama azabani, hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*, quæ verba non sunt *contendentis*, aut *litigantis*, quasi Christus litigare voluerit, cum Patre cælesti: contrarium enim ex loco primitivo *Pf. XXII. 1. seqq.* est manifestum, ubi multa *spei*, vel *fiducia*, erga Patrem argumenta prodit, adeoque ne utique cum eo contendere, sed potius se cum Deo, ejusque auxilio firmissime conjungere voluit: nec sunt *indignantis*, vel *expostulantis*, nam Christus suâ sponte Passionem susceperat, & omnem obedientiam Patri promiserat *Psal. XL. 8.* cum eodem igitur expostulare, vel eidem indignari minime volebat: multo minus sunt *desperantis*, ut male quidam opinantur: licet enim Christus cum desperatione concertare, vitiumque hoc gravissimum nostri causa superare necessum habuerit, tamen sanctissimo nostro Mediatori ne utique ipsa desperatio tribui vel potest, vel debet. Tentatus est desperatione, oneratus est desperatione, sed victoriolè desperationem omnem superavit: unde potius sunt verba *lamentantis*, quod ipse sonus & status verborum attestatur, quia de magnitudine dolorum & onerum sollicitus Messias, non potuit ob immensos labores atque dolores has lamentationes non edere: verba *querulantis*, quia Patri suo queritur de hoc laborum onere, nec in sinum alterius confidentius, commodius, vel etiam fructuosius querelas suas effundere potuit: sunt verba *confidenter invocantis*, quemadmodum & ipsa verba, & omnia sequentia fere testantur. Conqueritur autem de horrendo Dei judicio, quod est *judicium desertionis*, quia Deus Pater propter infinitam justitiam, propter immensam severitatem, propter intolerabilem iram suam, etiam Messiam ipsum ad tempus deserere voluit, ut infensissimum suum odium erga peccatum eo ipso contestaretur.

DISSERTATIONES PASSIONALES.

11. (3) Principium causale v. 47. 48. 49. quod est hominum Principi-
 pessimorum illusio, cum hanc etiam lamentabilem exclamationem um Caus-
 Jesu Crucifixi suis illusionibus excipere voluerint, tum quoad vera sale,
 borum detorsionem v. 47. Quidam autem illic stantes & audientes
 dicebant: Heliam vocat iste. Hieronymus censet, eos fuisse milio
 res Romanos, qui non intellexerint linguam Orientalem: sed nec
 quicquam illi de propheta Elia noverunt: potius igitur
 dicendum, quod Judæi fuerint, quia talem illusionem insti-
 tuerint ex pravo sensu dicti Malach. IV. 3. tum quoad potus exhi-
 bitionem, quia continuo currens unus ex eis, acceptam spongiam im-
 plevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere v. 48. Marcus
 v. 36. addit, quod idem ille dixerit: Sinite videamus an venturus
 sit Elia ad deponendum eum. Johannes c. XIX. 28. quod hoc fa-
 factum sit ad Christi verbum, vel postulatum: Sitio: sic igitur
 videamus, quod intolerabilis fuerit æstus iræ divinæ, cruciatuum
 infernalium, aliorumq; dolorum, ut intolerabilem sitim in
 Christo excitaverint: sed licet mansuetissimus Dominus sitiret,
 nihil tamen potus præter acetum ab illusoribus expectare pote-
 rat: tum quoad Elia expectationem, quia juxta Matthæum ceteri
 quoque dixerunt: Sine videamus, an veniat Elia, liberaturus
 eum. Sic igitur in hanc acerbam & mordentem illusionem re-
 liqui consenserunt, & sic dolores in Christo vehementer auxe-
 runt. Nulla siquidem crudelitas major est, quam quæ in mise-
 ros homines morti jam destinatos exercetur.

12. III. Passionalis Consummationis terminum v. 50. describit: III. Passio-
 Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit Spiritum. Ex qui-
 bus apparet, quod passionalis Consummationis terminus nihil ali-
 ud sit quam ipsa Mors Christi Salvatoris. Describitur autem onis ter-
 mors in his verbis (1) ratione subjecti, quod dicitur Jesus: nam minum;
 hoc nomen non sine emphasi, nec sine causa prægnanti denuo Mors na-
 hic repetitur, sed partim ut ostendatur, eum ut Jesum mortuum tione sub-
 esse, partim notetur, ejus mortem esse non passivam, sed activam, jecti.
 & vere satisfactoriam; partim ut designetur, mortem hanc esse
 salutiferam.

DISSERTATIONES PASSIONALES.

Ratione Symboli. 13. (2) *Ratione Symboli*, quod iterum clamavit voce magna: hic magnus clamor fuit nostri magnus amor: & propterea quoque sic alta voce clamavit, ut plenitudinem satisfactionis indicaret, & quod ex alto Spiritu ac imo corde, postremum impetum faceret, ac mortem omnem vinceret.

Ratione objecti. 14. (3) *Ratione objecti*, quia dicitur spiritum emisisse, vel exspirasse, & quidem active, tum quia potestatem habuit ponendi spiritum, & iterum sumendi eum Job. X. 18. tum quia Patri spiritum active commendavit Luc. XXIII. 46. tum quia sua morte sic totam passionem satisfactoriam active consummare voluit.

Nota Didactica.

Miracula Christi circa vitam ingressum, progressum & egressum. 1. *Miraculorum usus per omnem Christi vitam* observari potest continuus. Nam miracula facta sunt (1) *in vita ingressu*, quia miraculose per Spiritum Sanctum in utero conceptus, miraculose in virgine conceptus & ab eadem natus, & alia quoque miracula circa Christi nativitatem contigerunt. (2) *In vita progressu*, quia *vita Christi curriculum* nihil aliud fuit, quam *divinissimum miraculorum Gymnasium*, sicut ipse testatur Matth. XI. 4. *Euntes renunciate Johanni, quae audistis & vidistis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt mortui resurgunt, pauperes Evangelizantur.* (3) *In vita egressu*, quia h. l. varia *miracula mortis Christi* recensentur.

2. Ut in nativitate Christi *nova stella* fuit exorta, sic in morte ejus mirabile pvid in sole contigit, qui prorsus est obscuratus.

Nota Elenctica.

Eclipsis totius terrae, non solum Judeae. 1. *Origenes statuit Eclipsin illam supernaturalem tantum fuisse totius Judaeae non autem totius terrae.* Sequitur eum *Jesuita Maldonatus super h. l. Calvinus etiam in Harmon. p. 427. idiplum* urget. (1) *Quod si tale quid contigisset, haut debuerit à tam multis, qui illorum temporum historiam accurate tradiderunt, omitti.* (2) *Quod si toti mundo communis fuisset defectio, potuerit videri naturalis, è contra verò magis notabile fuisset prodigium, tenebris obrui Judaeam, sole alibi fulgente.* Verum rationes illae non sunt adeo *magni momenti, nec à recepta sententia Doctorum nos recedere cogunt.*

2. Licet

ratione status integritatis, in quo nullus luctus actu fuit; nec ratione status glorificationis, in quo nullus luctus esse poterit; nec ratione status mere corruptionis, in quo merus & continuus de jure datur luctus, nulla beatitudo, seu felicitas: sed ratione status reconstautionis, in quo ratione veteris Adami datur luctus propter peccata, ratione novi hominis in Christo datur felicitas & beatitudo, utriusque respectu datur luctus Spiritualem felicitas. Subiectum igitur Felicitatis hujus sunt verè fideles, vel Christiani, de peccatis suis dolentes, & in Christum vera fide credentes, ac in ipso mysticam felicitatem apprehendentes, sibiq; firmiter applicantes. Alia materia circa quam, vel objectum, sic beatitudo hæc immediate circa luctum ipsum Spiritualem, mediate tunc circa peccatorum agnitionem & detestationem, & illorum averfationem, item peccatorum gravissimarum, & promeritarum meditationem ac ponderationem, è contra Spiritualium bonorum in CHRISTO magnitudinem & multitudinem versatur.

17. *Causa formalis* etiam $\mu\eta\sigma\eta\epsilon\lambda\omega\delta\eta\varsigma$ est, à nobis facilius introducitur, quàm exponitur, vel intelligitur. Nam in mysteriis rem credimus, modum & formam nescimus. Beatitudo, seu felicitas, Spiritualium lugentium verum mysterium est, ab omni rationis captu, vel conceptu prorsus alienum. Interim formaliter vocatur $\lambda\upsilon\pi\eta$ κατὰ θεὸν II. Cor. VII. 10. Tristitia ad DEUM, vel secundum DEUM, quod in ampliatione dicitur intelligendum, quia beatitudo talis consistit in felici tristitia à DEO, quoniam DEUS est efficiens causa felicitatis, & lugentis felicitatis, à quo nil nisi bonum, nisi beatum, provenire potest. (2) in felici tristitia ex DEO, quia DEUS omnia suggerit, ex quibus felicitas lugentium essentiam suam, vel materialē constitutionem accipit: (3) in felici tristitia secundum DEUM, ut DEUS sit mensura totius hujus contristationis, & ad divinā voluntatem omnia regulentur & examinentur, atque probentur. (4) in felici tristitia in DEO, dum non nisi in DEO tristitia hæc suscipitur, concipitur & reperitur, extra DEUM nulla luctus felicitas

B

inve

Invenitur. (5) in felici tristitia ad DEUM, quia luctus omniv-
felix ad DEUM unice dirigitur, & ad DEI notitiam atq; gloriam
ordinatur: (6) in felici tristitia propter DEUM, propter quem
solum hic luctus felix admittitur.

18. *Causa finalis* dicitur hoc loco *Consolationis consecutio*, quia disertis verbis textus hanc exprimit, quia ipsi consola-
tionem consequentur, quibus exprimitur & finis cui, nimirum. *αὐ-
τοῖς, οἱ πνεύματες*, ipsi lugentes, & non alii, consolationem acci-
pient: & finis cuius, hic est consecutio consolationis, quia consola-
tionem accipient: quod, juxta B. Chemnit. super h. l. c. 51. Harm.
Evangel. intelligi potest vel de consolatione reali, in liberatione &
mitigatione calamitatum in hac vita, juxta dictum I. Cor. X. 13. Fi-
delis est DEUS, qui non sinit suos tentari ultra id, quod ferre
possunt, sed dat eventum tolerabilem: vel intelligitur de consolatio-
ne interiori, qua Spiritus Sanctus animum in luctu consolatione
perfundit, spe & patientia erigit, roborat & confirmat, sicut II. Cor.
I. 3. Paulus inquit: DEUS totius consolationis, qui consolatur nos
in omni tribulatione nostra: sicut abundaverunt afflictiones CHRIS-
TI in nos, ita & per CHRISTUM abundet consolatio nostra:
& Psal. 94. 19. secundum multitudinem dolorum in corde meo
consolationes tuae latificaverunt animam meam Rom. V. 3. Gloriamur
in afflictionibus Psal. XIX. 14. Desine à me, ut refrigeret
priusquam abeam, & amplius non ero: vel quod de consolatione
dicit, intelligi potest de consolatione in futura vita, sicut Luc. XVI.
26. Abraham dicit: Lazarus in vita sua accepit mala, nunc vero
consolationem accipit. Et II. Thes. II. 16. dedit consolationem
aeternam. Et hac triplex interpretatio non insinuat ambiguitatem,
vel incertitudinem promissionis: sed quia DEUS his modis pro sua
bona voluntate solet suos consolari, vel liberando, vel mitigando, vel
animo confirmando, vel salvando: sicut elegans est veterum oratio,
monens in cruce orandum esse, ut DEUS vel liberet, vel mitiget, vel
confirmet, vel salvet. Hac ille, quæ consolationem à posteriori
respiciunt, quantum ad penam, vel crucem: sed potior consolatio
respicit consolationem quoad culpam, & peccatum. Esa. XL. 1. 2.

Luc.

*Luc. I. 47. Act. X. 47. Qua sit illa consolatio, scribit Venerandus
Dn. D. Calovius, dicitur Esa. XL. 1. 2. Luc. I. 47. Act. X. 47. Lugent
penitentes ob peccatum commissum, gaudent ob solatium a divinitus
promissum: lugent ob Satanae tentationem, gaudent ob divinam &
malo liberationem Job. XVI. 23. II. Tim. IV. 18. Rom. V. 2. imo
lugent ob culpam, latantur ob gratiam; lugent ob pessimum factum,
latantur ob Christi meritum, lugent in contritione, latantur in
fide, lugent ex lege, latantur ex Evangelio: lugent ob mali per-
missionem, latantur ob peccati remissionem, lugent propter su-
am injustitiam, latantur ob imputatam Christi justitiam &c. De
Beatitudinis hujus propriis, adjunctis & effectibus, nil modo addimus.*

19. III. *Analysin Rhetorico-Homileticam, sic agitur in hoc
Oraculo (I) De Vera spiritualium lugentium Felicitate. Nam
Christus maximum his in terris luctum sustinuit, dum omne ma-
lum nostrum pertulit, suoq; luctu meritorio veram Lugentibus fe-
licitatem acquisivit; hinc etiam omnium optime de Vera spiritua-
lium lugentium Felicitate verba facere potuit: proponit autem
(I) Vera Felicitatis spiritualium lugentium rationem, & eligi sibi:
quibus ostenditur (1) ratio felicitatis divinissima, quia felicitas
haec non tantum divinitus nobis destinata, sed etiam à DEO
parata, verboq; divino à Christo tum oblata, tum promissa. (2)
ratio felicitatis verissima, quia Christi verba nihil aliud, quam res
sunt, non nuda dicta, sed ipsa facta, selig (3) ratio felicitatis
praesentissima, sibi quia felices sunt jam de praesenti, non tantum
de futuro, sed ratione DEI, vel ab intra, non ratione mundi, vel
ab extra. (II) Felicitatis lugentium mansionem, apud quos illa sit
felicitas, nim. apud lugentes, qui lugent (1) ob boni omissionem,
quia nihil boni fecerunt. (2) ob mali commissionem, quia multum
mali commiserunt. (3) ob DEI offensionem, quia per utrumque
DEUM graviter offenderunt. (III) Felicitatis lugentium De-
monstrationem, denu sic sollen getröstet werden (1) Spiritu con-
solationis, quia Spiritus Sanctus solatur lugentes, suoq; solatio
Spiritum internum sub medio luctu felicem reddit. (2) Verbo
consolationis, quod est Evangelium, praesens etiam Oraculum. (3)*

facto consolationis, quia DEUS ipso facto penitentes & ob peccatum lugentes consolatur.

20. (II.) *Luctum letum*, vel *letitia*, Christus hic paradoxo quodam proponit, & quidem (I.) *Lati luctus Metam*, *Selig sind* / quia beatitudo laci luctus finis est, quâ ratione dicitur (1) *Meta gloriosa*, *selig*: quia beatitudo maximè gloriosa, cum sit finis ultimus. (2) *Meta gratiosa*, *sind* / nim. per DEI gratiam hæc beatitudo donatur, non per nostram industriam comparatur. (3) *Meta numerosa*, *selig sind* / *μακάριοι*, divinâ multitudine beati. (II.) *Laci luctus Materiam*, *οἱ πενθῦντες*, quâ ratione describitur hæc materia (1) ratione *quidditatis*, sunt homines, quibus Christus hac in turba loquitur. (2) Ratione *qualitatis*, *οἱ* (emphaticè) *πενθῦντες*, nim. penitentes fideles, de peccatis dolentes. (3) Ratione *quantitatis*, quia loquitur in plurali, *οἱ πενθῦντες*. (III.) *Laci luctus forma*, quia ipsi consolationem consequentur, quâ ratione *forma laci luctus* consistit (1) *quoad fieri*, in divina consolationis oblatione, *ἠδικηθήσονται* nim. à DEO. (2) *Quoad esse*, in consolationis applicatione, *Σὺ εἶ* sollen getröstet werden. (3) *Quoad operari*, in divina consolationis fructificatione, quia consolatio hæc miram & meram parit lugentibus his *felicetatem*.

21. (III.) *Arcana luctus mystici*, vel *Christiani*, quâ ratione Christus ostendit (I.) *Arcana scopi*, *selig sind* / siquidem *scopus* hic (1) *Scopus ultimus*, quia beatitudo *finis ultimus*. (2) *Scopus optimus*, quia beatitudine melius quid dari non potest. (3) *Scopus maximus*, quia dicitur *μακάριοι*, quilibet admittitur, nullus excluditur. (II.) *Arcana Subiecti*, *οἱ πενθῦντες* (1) *ratione sui*, sunt homines tantum. (2) *Ratione rei*, sunt lugentes, verè penitentes, verèq; de peccatis dolentes. (3) *Ratione DEI*, sunt quasi verè singulariter lugentes, nim. credentes, & DEUM in luctu præsentem possidentes. (III.) *Arcana Medii*, quod est divina recreatio, vel *consolatio*, siquidem hæc est (1) *Medium verissimum*, *ὅτι*, *notæ causalis*. (2) *Medium certissimum*, *ἵνα*

ſſe ſollen. (3) *Medium pleniffimum*, getröſtet werden / modis o-
mnibus, in omni luctu.

22. (IV.) *Gloriam Myſticorum lugentium*, quæ triplex eſt:
(I.) *Gloria myſtica beatitudinis*, ſelig ſind / ſiquidem hæc eſt (1)
Gloria beatitudinis divina, reſpectu principii, quia DEUS lugen-
tes beat. (2) *Gloria beatitudinis activa*, reſpectu medi, ſeu veri-
bi, quod beatitudinem in lugentibus præſtat. (3) *Gloria bea-
titudinis ampliata*, quia πανάγειοι ſunt, indefinite quivis admit-
titur. (II.) *Gloria myſtica habitudinis*, οἱ πνευμάτιες, quia ſunt
ai, vel emphaticè lugentes, (1) in DEO, ratione paterne miſeri-
cordia. (2) In Chriſto, ratione meritoria gratia. (3) In Spi-
ritu Sancto, ratione ſanctificantis efficacia. (III.) *Gloria ſuavis-
ſime dulcedinis*, quæ conſiſtit in divina conſolatione, ſiquidem eſt
(1) gloria conſolationis virtuofa, ὄλι, denn inſtar cauſa, virtute
divinâ conſolatur efficaciter. (2) *Gloria conſolationis propria*,
αὐτοὶ lugentes, non alii conſolationem accipient. (3) *Gloria
conſolationis omnivaria*, quia conſolationem omnis generis, modis
omnibus, in omni myſtico luctu poſſidebunt.

23. (V.) *Analyſin Theoretico-Præctiam*. (I.) Quoad U-
ſum Didacticum, (1) *Mundum eſſe domum luctus*, Job. XVI. 33.
(2) *Eccleſiam magis eſſe luctus officinam*. Job. XVI. 20. (3) *Lu-
ctus hujus vitæ comes eſt*, Simc. XL. 1. (4) *Luctus vitæ myſticæ
perpetuus vitæ Chriſtiane comes eſt*, quia Chriſtianorum vitæ per-
petua debet eſſe penitentiæ. (5) *Peccatum eſſe ſpiritualis luctus
motivum*, eſſe præcipuum objectum, cum nihil ferè ſit aliud, quod
majori luctu dignum, quàm peccata: peccatum eſſe malorum-
maximum, adeòq; ſemper lugendum. (6) *Beatitudo lugen-
tium non eſt humana, nec Angelica facultatis, ſed ſolius divina be-
nignitatis, ſolius divina poteſtatis, ſolius divina activitatis*. (7) *Lu-
ctus myſticus tantum à DEO ſuam habet originem*, quia DEUS
hunc ſuis fidelibus immittit, ut conſolationem quærere & ama-
re diſcant. (8) *Beatitudo lugentium non eſt mundi, ſed Chriſti*,
quia mundus beatitudinem collocat in lætitiis, non in triſtitia.

in voluptatis carnalis usu, non in spiritali luctu. (9) Luctus
 beatus non est hominum, quia natura hominis tristitiam & lu-
 ctum averfatur: neque Gentium, qui luctui, vel tristitia, quoad
 fieri potest, adversantur, & cum eum effugere nequeunt, sine
 modo contristantur: sed potius Christianorum, qui luctum mysti-
 cum ex lege sectantur, & in eo mysticam beatitudinem venantur.
 (10) B. Chemnit. hic egregiam notat antithesin: Observeretur,
 scribit, antithesis, cui Christus hasce sententias opposuit: Mundus
 enim, & caro, in deliciis & voluptatibus hujus vite existimat summo
 beatitudinem, ideo talia quoquo modo sectatur; ab iis autem ab-
 horret, quae, licet pia sint & recta, fletum & luctum in hac vite se-
 cum trahere videntur, qualis est Confessio Evangelij: Christus igitur
 huic persuasioni opponit: Beati lugentes & flentes. Quia ve-
 ro non omnes lugentes beati sunt, Veteres interpretantur hanc sen-
 tentiam de iis, qui lugent vel sua, vel aliena peccata, vel ob DEI
 contumeliam, impiorum perditionem & pusillorum scandala, Rom.
 7. 24. Miser ego &c. 2. Cor. 12. 21. Lugeo eos, qui non poenitentiam
 agunt. Psalm. 119. 136. Deploro eos, qui non custodiunt legem tuam.
 In Samuel luxit Saulem, 1. Reg. 16. 1. Et hic quidem pius & sanctus
 luctus est. Sed Christus in genere loquitur de discipulis suis, quan-
 do ipsis immittitur luctus, ut sciant, se habere consolationem, quam
 illi, qui perpetuis deliciis affluunt, nec intelligere, nec gustare
 possunt.

24. (II.) Quoad Usum Elencticum. (1) Monachi lu-
 gentium beatitudinem de luctu spontaneo, vel ex ἐθελοθρηνησίᾳ
 acquisito &c. exponunt: sed Christus loquitur de luctu mystico
 non Ethico, non ex ἐθελοθρηνησίᾳ acquisito, sed ex divina εὐδονίᾳ
 donato, vel illato, non de corporali, sed spiritali. (2) Hugo Grotius
 ad h. l. intelligit luctum in cruce, vel malo poenae. Proprie
 scribit, hic lugentes intelliguntur cum sua qualitate, i. e. qui mala
 ab hominibus, aut à DEO inflicta, patienter ferunt: nim. Gaudet
 patientia duris. Sed rectissime Dn. D. Calovius in Bibl. Illustr.
 hunc Elenctum subjungit: Non de malorum calamitatibus, aut cruce

eis perpeſſione, aut tolerantia, ſed de luctu ob mala culpa, hæc præ-
 miſſio ſonat. Nam ſequitur ſenſum ſpiritalis carentiæ, ob defe-
 ctum bonorum ſpiritalium, in vena contritione luctus cordis afflictus,
 ob ſenſum peccatorum, ſiquidem non laboramus ſolum ægros bo-
 norum ſpiritalium, ac paupertate ſpiritali, ſed etiam peccatis o-
 nemti ſumus, ceu ſarcina graviffima, ob qua dolendum nobis, lugen-
 dumq; eſt, exemplo Davidis Pſalm. VI. & XXXIIX. Atque hic eſt
 alter gradus penitentiæ, planctus noſter ob mala commiſſa, ſicut
 prior erat dolor ob bona amiſſa. (3) Luctus hic non eſt merito-
 rius, ſicut eò reſpicit Gloſſa Ordin, quòd ruinarum colluſionem lu-
 ctu purgare poſſimus. Item: Luctus pro peccatis, vel pro deſi-
 derio cœleſti conſolationem meretur, & non alius. Nam Chriſtus
 dicit, Beati, qui lugent, non quâ lugent: prætereâ ſubjecti noſ, &
 non eſt objecti cauſa: Luctus in ſubjecto pœnitente reperitur, &
 inde verè pœnitens cognoscitur, ſed propterea nec eſt, nec eſſe
 poteſt Beatitudinis cauſa: Subjecti debitum, non eſt objecti, vel
 etiam ipſius ſcopi meritum: homo peccator lugere debet, ſed
 meritum in eo nullum exhibet. (4) Chriſtus hic luctum com-
 mendat, ſed juxta Prov. XVII. 22. luctus oſſa exſiccatur, & II. Cor.
 VII. 10. mortem operatur, hinc Simc. XXX. 22. jubet eum longè
 propellere. Verùm diſt. inter luctum mundi, & DEL: de hoc
 Chriſtus, de priori reliquis in locis agitur: inter luctum amiſſæ
 corporalis voluptatis, & amiſſæ ſpiritalis felicitatis; hic præſenti,
 ille citatis locis intelligitur. (5) Chriſtus hic luctum præſcribit,
 mox v. 12. ſicut & Paulus Phil. IV. 4. perpetuum gaudium præcipit:
 Gaudete in Domino ſemper. Verùm luctus veteris hominis eſt gaudi-
 um novi hominis. Chryſoſtom. ad h. l. Quemadmodum, inquit, Pau-
 lus ait: Gaudete in Domino ſemper? Dixit hoc quidem ille, cono-
 fiteor, ſed eam procul dubio, qua ex his naſcitur lacrymis, ſignifi-
 cans voluptatem.

25. (III.) Quoad Uſum Pœnitentiæ [1] Chriſtianiſ (a)
 cum Chriſto legendum, (b) cum Chriſto patiendum, (c) cum Chri-
 ſto moriendum. (2) Spiritualiſ luctus elogium (dum beatus
 prædicatur) fit quodammodò Chriſti mandatum. (3) Motiva

Luctus varia sunt: [a] *alii* lugent, quod non honorentur in hoc mundo, [b] *alii* lugent propter rerum temporalium jacturam, [c] *alii* lugent immodicè suorum vel cognatorum, vel amicorum, vel ministrorum, aut Dominorum, per mortem amissionem, [d] *alii* lugent ob denegationem vindictæ, [e] *alii* lugent ex invidia, propter fortunam adversariorum prosperam &c. Sed omnis hic *luctus* potius *vitupendibilis*, quàm *laudabilis* est: verùm h. l. *luctus* nobis commendatur mysticus, qui fit [a] ob *peccata propria*, s. sint *amissionis*, sive *comissionis*. [b] Ob *aliena peccata*, quia peccatis alienis DEUS, benefactor nosker, offenditur. Hinc dicitur: *Beatus* est, qui *sua*, sed *beatior*, qui *desit aliena peccata*. [c] Ob *peccata gravia*, quando sceleribus gravissimis DEUS ad iram, & poenam provocatur. [d] Ob *peccata publica* &c. (4) *Luctus* est expetendus, sed qui *Christianus*, *beatus*, & Evangelicâ *consolatione* præditus, atque plenus est.

26. (IV.) Quoad *Usum Epanortoticum* [1] *Luctum mysticum* non esse fugiendum, quia hic à Christo commendatus, & verè mandatus est. [2] Non tam *mortuos*, quàm *peccati mortem* lugendum esse, sicut habet Chrysof. Propterea à Salvatore ait: *Beati*, qui *lugent*, non *mortuum*, non *jacturam*, sed *peccata*. *Lugendus* igitur potius est, qui *mortuos*, non autem seipsum DEO *mortuum* ob peccatum luget. [3] Non cum *hominibus* ob *damnum honorum naturalium*, nec cum *Gentilibus*, ob *damnum honorum casualium*, sed cum *Christianis*, ob *damnum honorum spiritalium*, lugendum esse. [4] Ne *luctum* admittamus, & *consolationem* dimittamus: *luctus* enim sine *solatio* præstat *miseros*, cum *solatio* *beatos*.

27. (V.) Quoad *Usum Paracleticum* [1] DEUS est, qui solatur omni consolatione in hoc luctu, II. Cor. I. 3. & abstergit omnem lacrymam ab oculis Sanctorum, Apoc. XXI. 4. hinc Esa. LXVI. 12. lugentibus dicit: *Ego consolabor vos*. [2] *Luctus mysticus* per fidem parit *solatium*, *gaudium*, & *beatitudinis premium*: non equidem ratione *nostri*, sed ratione *DEI*, nec ratione *sui*, sed ratione *Verbi*. Psalm. XXX. 12. Jer. XXXI. 13. Job. XVI. 20. 22. (3) *Consolatio* sequitur *luctum*, non ut *meritum*, sed ut *premium*, idq; non tam *externum*, quàm *internum*, & *æternum*.

Umg. VI-61

ULB Halle
004 113 25X

3



TA 701

Umg. VI 61





אלהי נלהי

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

PASSIONALI CON-
SUMMATIONE,

f. 11. 2850

ET

MIRACULOSIS CONSE-
QUENTIBUS PASSIONIS,

ex Matth. XXVII. v. 45. usq; 56.

Quam

P R Æ S I D E

RECTORE MAGNIFICO

V I R O

Maximè Reverendo, Amplissimo atqve Excellentissimo,

DN. JOHANNE Deuschmann/

SS. Theol. Doct. ejusdemq; Prof. Publ. Celeberrimo,
nec non Alumnorum Electoralium Ephoro Gravissimo.

Dn. Patrono ac Evergetâ affectu imo & humili, summo
tamen honoris cultu jugiter suspiciendo,

die 12. Aprilis A. Æ. C. qvô

Pressa fides sVrget, sVrgensqve Vt palMa Virescet.

In Auditorio Theologorum

horis pomeridianis

publica ventilationi exponere, & propugnare constituit

RESPONSURUS

MARTINUS DUBOVSKI, Solnâ Hungarus.

WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS BORCARDI, Acad. Typ.
Excudebat SIMON LIBERHIRT.

